



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XXXIX. Vtrùm, si Sacerdos sit Confessionis reuelator, liceat eam diuidere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

gratia, Sacerdos aliquis absoluit Episcopū à simoniæ labe, quod nō erat facultatis ipsius, quod peccatum, si suo manifestaret Maiori; illicò cognosceret, Episcopum simoniæ crimen patrasse; eiusmodi, inquam, peccatum alterius per cōfessionem cognitum, in Confessarij cognitionem, ne per Confessionem quidem, traducere potest.

Strictius enim obligat præceptum, de non reuelanda Confessione, quàm præceptum de Confessionis integritate. Et si daremus, vtriusque præcepti par esse vinculum obligandi; attamen illud, quod sapius aliter se habet, nec obseruatur semper, ei debet cedere, quod nunquàm aliter se habet, & perpetuò religiosè seruiatur. Iam constat multis ex causis, nō retinendam esse Confessionis integritatem; semper verò Confessionis figillum. Quare hoc in casu amputandum potius est aliquid de integritate Confessionis, quàm vt accusatione nostri, Confessionis alterius reueletur figillum.

*Quid, si Sacerdos sit Confessionis reuelator; licebitne eam diuidere?*

*Quæstio  
XXXIX.*

*SI Sacerdos flagitiosus sit, aut ebriosus, vt probabiliter timeretur graue periculum, ne poenitentis per ebrietatem reuelet peccatum, nec adfit alius, cui tutò confiteri possit;*

*Respōsio.*

### Caput III. De Qualitate

fit; tunc illud peccatum, cuius reuelationem timet, silentio obruere potest.

Verùm, quamuis flagitiosus fuerit Sacerdos, aut ebriosus; non tamen cuius pro suo arbitrio permiffum est, statim Confessionem diuidere, nisi iam antea constet, Sacerdotem hunc aliorum peccata reuelasse. Alioqui enim omni poenitenti daretur occasio malè cõfítendi; cùm aliquid cernit aut suspicatur in Sacerdote reprehensione dignum.

Adhac improba Sacerdotis vita nunquã poenitenti facultatem præbet, aliquid mutandi circa Sacramentum Poenitentiaë, nisi quando probabiliter creditur in eiusmodi detrimentum poenitentis cessurum, quale Christus noluit, vt aliquis per Sacramentum sustineret. Cùm autem nemo hactenus à Sacerdote flagitioso detrimentum passus fuerit per reuelationem peccatorum; nõ est temerè suspicandũ, quòd peccata, quamuis flagitiosi sint, vel ebriosi, peccata velint reuelare.

*Questio*  
XXXX.

*Admittitne etiam Confessio diuisionem ratione temporis?*

*Respõsio.*

DVPLICI nomine diuidi potest Confessio ratione tẽporis. PRIMO, quando tam proluxa est Confessio, vt vno tempore finiri nequeat, quo casu postea redibit poeni-